

l. 2. c. 37. *Wittichius von Unfruchtbarkeit der Weiber* p. 13.
Hippocrates in libr. de superfœtatione p. 44. *de muliebr. nat.* & *de*
αφροδισια p. 250. Innumera loca alia idem hoc adstruentia, ex
 autoribus facile colligi possent, qui de sterilitate utriusque
 sexus, aut de obesitate agunt, si opus foret. Rationem vel
 causam sterilitatis in mulieribus obesis inprimis accusat omen-
 tum *Hippocrates s. aph. 46.* quod illò uteri os comprimatur, un-
 de mulieres prius non concipiant quàm extenuentur. Suffra-
 gantur huic opinioni innumeri alii autores, veluti inter istos
Avicenna hanc quoque sterilitatis rationem reddit. De ea-
 dem sententia & aliis ejusmodi impedimentis fœcunditatis
 confer sis etiam *Hier. Mercurial: de decorat: c. 6. p. 19.* & *Joh.*
Jonstonum in Idea medic: universal: l. 10. p. m. 664. qui, veluti
 alii plures faciunt, omentum pariter dictâ ratione accusant.
 Verùm utrum non aliæ causæ in præpingvibus mulieribus ma-
 gis accusari possint meditentur curiosi pathologiæ gnari. Non
 absurda eqvidem videtur historia communicata à *Dom. Pana-*
rol: in Pentecost: 3. obs. 10. p. 69. quod omentum crassum, durum
 ac ferè lapidosum in muliere quæpiam uterum premens, eidem
 sterilitatem intulerit. Quod genitali arvo equarum non ita
 conferat sagina, constat etiam ex sequentibus verbis *Virgilii:*
Georg. lib. 3.

*Sæpe etiam cursu quatiunt & sole fatigant,
 Cum graviter tossis gemit arva frugibus & cùm
 Surgentem ad Zephyrum paleæ jaçantur inanes.
 Hoc faciunt nimio ne luxu obtusior usus
 Sit genitali arvo, & sulcos obliquet inertes:
 Sed rapiat sitiens venerem, interimque recondat.*

Spirituum verò pauperies, & moles abdominis (unde uterus
 non benè concipere, vel conceptus fœtus contineri atque nu-
 triri potest) officiant maximè & infelices matres ut plurimum
 efficiunt eas obesas. Dubium quoque non est, quin ejusmodi
 mulieres etiam difficulter pariant, si conceperint: Sic de mu-
 liere obesa in hyeme difficulter pariente agit *Forestus l. 28. obs.*
med. 74. p. 755. Indifferenter tamen pronuntiat *Velschius in*
curat. propr. decad. p. 469. quod obesa difficulter concipiant &

E

pa-